Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26074
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Iudicatis. Quos inuenit uiuos. Non solum. Sed quid? Veniet hora quando
hi qui sunt in monumentis. Quorum expressit carne mortuos qui sunt in monumen-
tis quorum iacent sepulta cadauera quorum fauille tecte sunt quorum ossa disper-
sa sunt quorum caro iam non est et tamen integra est. Veniet hora quando omnes qui sunt in mo-
numentis audient uocem eius et procedent omnes. Boni sunt mali sunt audient
uocem et procedent. Rumpuntur omnia uincula inferorum omne quod perit in imo
quod perisse putatur restituetur. Si enim fecit deus hominem qui non erat non potest repa-
rare quod erat. Puto quia cum dicitur deus mortuos suscitaturus est non res incre-
dibilis dicitur quia de deo non de homine dicitur. Magna est res que fiet et incredibilis res
est que fiet. Sed non sit incredibilis quia uides quis id faciet. Ille dicitur quod suscitabit
te qui creauit te. Non eras et es. Et factus non eris? Absit. Ne credas. Mira-
bilius aliquid fecit deus quando fecit quod non erat. Et tamen fecit quod non erat et non creditur
reparaturus quod erat ab eis ipsis quos fecit qui non erant. Hoc est quod reprehen-
dimus dominum qui non eramus et facti sumus. Hoc illum reprehendimus ut eum resusci-
tare quod fecit non posse credamus. Hoc est merces quam illi reddat creatura sua.
Ideo te feci dicit tibi deus o homo antequam esses ut non modo credas futurum te esse
quod eras qui potuisti esse quod non eras. Sed ecce inquit in sepulchro quod uideo fa-
uilla est cinis est ossa sunt et hoc iterum accipiet uitam et iterum pulpas carnem
et resurget. Quid fauilla ista ossa ista que uideo in sepulchro. Vel in sepulchro
uides fauillam uides ossa in utero matris tue nihil erat. Hoc uides
uel fauilla sunt uel ossa sunt tu antequam esses nec fauilla erat nec ossa erant
et tamen factus es cum omnino non esses et non credis quia ossa ista quomodo sunt qualiacumque
que sunt tamen recipient formam quam habebant cum tu acceperis quod non habe-
bas. Crede quia si credideris hoc tunc suscitabitur anima tua et sic
suscitabitur caro tua. Tunc ueniet hora et nunc est tunc bono tuo resurget
caro tua quando ueniet hora ut omnes qui sunt in monumentis audient
uocem eius et procedant. Non enim quia audis et procedis iam gaudere debes. Audi
quod sequitur. Qui bona egerunt in resurrectionem uite qui uero mala egerunt in
resurrectionem iudicii. Conuersi ad dominum. Explicit sermo .LXV.
Item pi sermo de scripturis ueteribus contra arrianos.